

tam gravi pœna puniebantur, quæ interpretatio deducitur ex verbis illius textus, » ibi: « Fidejussionibus inserviens: quod idem est ac si textus diceret: Fidejussionibus pro lucro se offerens: » Eademque fuit interpretatio Morl. in *Empor. jur.* tit. 8, quæst. 25, num. 34. Quod si etiam standum sit interpretationi Grananiet. et Morl. patet, non regulam, sed exceptionem tradi, adeoque male regulam ab exceptione peti.

(59. Visum est, quod nec jure Civili, nec jure Canonico prohibiti sunt Clerici fidejungere. At si rem ex vero æstimare velimus, jus Canonicum potius fidejussionem Clericorum obligatorias supponit. Expresse enim in cap. 2 de *Fidejussor.* supponitur Clericos fidejussores coactos fuisse ad solvendum debitum fidejussorium, nec tamen Pontifex revocavit eam sententiam, prout sane revocasset, si fidejussio eorum irrita fuisset. Idque ipsum supponitur in cap. 3, eod. tit. Non ignoro, plures reponere solere, ideo huic fidejussioni robur adscriptum fuisse, quod Clericus pro Clerico intercesserat. At se fundat hæc interpretatio in erroneo illo principio, quod generatim fidejussio Clericorum omni juris vinculo sit destituta, id quod tamen jure Canonico, ut recognitum est, demonstrari nullo pacto potest.

(60. De fidejussore in Criminalibus plures occurrunt quæstiones, eæque in Foro frequentes. At de iis vide, ubi res postulat, Strych. in *us. modern. Pandect.* lib. 46, tit. 8, et plures sequent.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(61. Uterius hoc denegatur beneficium Fidejussoribus de judicato solvendo. Voet. in *Pandect.* lib. 2, tit. 8, num. 16, qui iterum lib. 46, tit. 1, num. 18, monet « esse denegandum beneficium ordinis ei, qui pro naturali tantum debito, cujus intuitu actio intentari, adeoque executio fieri non potest, intercessit, vel pro debitore, qui rescripto moratorio sese potest tueri, vel si fidejussor per mendacium negaverit se fidejussisse, vel impediverit, quatenus principalis debitor excutiatur, vel in antecessum jam a debitore principali acceperit eam quantitatem, pro qua fidejussit, aut alias penes se habeat bona debitoris, ex quibus solutionem facere potest, » et alios quamplures recenset casus, de quibus loc. cit. num. seq.

(62. Sicuti vero hæc tantum dilatoria est exceptio, ideo post excussum principalem debitorem datur regressus ad fidejussorem *Novell.* 4, cap. 1. Dubitari autem potest, si principalis debitor jam excussus, dum contra fidejussorem agitur, lite pendente, locupletior factus sit, vel per hæreditatis acquisitionem, vel alio quocumque modo idoneus esse ceperit, an fidejussor excussionis beneficium opponere denuo possit. Si lis revera contestata sit, et pendeat, magis receptum est iteratam ordinis beneficii exceptionem fidejussori denegari. Voet. in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, num. 15. Sed si lis intermissa fuerit, et inter moras repetenti denuo moveatur, repetita ordinis exceptio non denegatur

Fidejussori. Fachineus *Controv.* l. 8, c. 56. Bertich. *Conclus. practic.* 2, num. 139, ad 141.

(63. Sequitur divisionis exceptio. Hæc auctorem habet Hadrianum ut innuit Auctor. super num. 29, et quamvis contrarium sentiat Cujacius *Comment. ad tit. Instit. de Senat. Consult. Vellejan.* nihilominus doctissime refellitur a Voet. loc. cit. num. 21, et Heinec. *Antiquitat. Roman.* lib. 3, tit. 21, § 9. Procedit vero ubi plures sint Fidejussores, quorum unus sit in solidum pro solutione conventus, dummodo tempore litis contestatæ omnes sint idonei, secus eorum, qui solvendo non sunt fidejussionem, tamquam non appositæ habentur, et inter idoneos obligatio dividitur, et si unus tantum idoneus reperitur, in ipsum solum transferitur. Voet. ubi super. Quamvis vero fidejussor hanc acceptionem usque ad sententiam opponere valeat l. 10, § 1. *Cod. de Fidejuss.* Zoes. in *Pandect.* lib. 46, et num. 34, in quo differt a beneficio ordinis, quod tempore contestationis litis allegandum est, nihilominus si conventus hoc differat beneficium allegare, et solutum solvat, postea nullam contra confidejussores actionem habet, nisi a Creditore actionum cessionem obtineat l. 39, ff. de *Fidejuss.* Vinnius *Partit. jur.* lib. 1, cap. 61, contrarium sentire videtur. Voet. loc. cit. num. 25, quam cessionem jure potest a creditore postulare l. 2, et l. 11 *Cod. de Fidejussor.*

(64. Ut autem locum habeat inspiciendum non est utrum publicum, an privatum debitum respiciat cum pro omnibus indistincte competat. Ant. Mathæus de *Aution.* lib. 2, c. 9, num. 14. Wisembach. *ad Pandect.* lib. 46, tit. 1, n. 18, exceptis tantum tutorum Fidejussoribus quibus hoc denegatur beneficium a l. ultim. ff. *Rem pupill. salvam fore.* (65. Item si quis cum muliere fidejubeat, quæ Vellejano juvetur l. *Si Titius* 48, § 1, ff. de *Fidejuss.* Zoes. in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, n. 31. Quin obstet argumentum a dicta lege desumptum, quod ibi statutum majorem cum minorem fidejubentem pro virili tantum posse conveniri. Majorennis enim alterius ætatem ignorare potuit, vel sibi suadere a Judice denegaturum eidem in integrum restitutionem, quod tamen in muliere præsumi nequit, quam nulliter obligari, et Vellejano juvari, nemo potest, vel debet ignorare. Zoes. loc. cit. num. 32. Voet. loc. cit. num. 23. (66. Hoc beneficium amittit, qui eidem expresse renuntiat, quæ renunciatio debet esse specifica, cum renunciatio sit stricti juris, nec præsumatur, quemquam suum jactare. Zoes. ubi supra n. 20. Item qui pro facto, vel debito individuo fidejussit. Hugo Grot. *Manuduct. ad jurispr.* lib. 3, cap. 3, num. 53. Gomez. *Variar. resolut.* tom. 2, cap. 13, n. 15, in fin.

(67. Si vero fidejussor ordinis, et divisionis beneficio nequeat, vel nolit uti, tunc altero cedendarum actionum remedio succurritur, ubi unus ex fidejussoribus in actu solutionis petit sibi actiones cedi contra debitorem principalem, fidejussores reliquos,

et pignorum possessores, casu quo fidejussoribus simul, et pignoribus cautum sit, nisi ob aliam causam pignora retineatur, et si creditor cedere recuset ab actione repellitur; Zoes. loc. cit. num. 36 et 37. Hæc autem cessio omnino necessaria est, ut fidejussor solvens contra reum principalem, et confidejussores suam valeat actionem experiri, l. 39, ff. de *Fidejuss.* l. 11. *Cod. eam tit.* et quamvis contrarium in Tutore observetur, hoc tamen eorum respectu speciale est, qui cum coacte tutoris officio fungatur, ita expedit ut juris præsidio majori eorum indemnitati consulatur, quod tamen non verificatur in aliis fidejussoribus, quorum voluntaria est obligatio, ideoque nisi expresse caveant de actionum cessione, frustra contra confidejussores, et reum principalem agunt, l. 7, § 1, ff. *Qui satis dare cogantur.* ibique Bruneman. et Voet. loc. cit. num. 28. Fidejussor enim solvens absque actionum cessione non alienum, sed proprium negotium gessisse videtur, ut semetipsum a contracta obligatione liberet; Voet. ubi supra.

(68. Quæri posset quandonam hæc actionum cessio peti oporteat, utrum, nempe ante solutionem, vel tempore solutionis, an vero post solutionem. Hoc non obscuris verbis statuit Modestinus in l. 76, ff. de *Solut. et liberat.* ubi distinguit, vel ante solutionem, sive solutionis tempore convenit, ut actiones mandarentur, et hoc casu etiam post solutionem utilis erit hujusmodi cessio, vel nihil de hoc convenit, et tunc cum nulla supervenerit in creditore actio, omnesque per solutionem extinctæ remanserint actiones præcedentes, inutilis propterea remanet subsequens actionum cessio. Zoes. loc. cit. n. 38. Voet. ibid. n. 30. In vim nihilominus nonnullorum peculiarium statutorum, vel consuetudinum in aliquibus locis seclusa etiam hac actionum cessione, ex æquitate conceditur fidejussori facultas conveniendi confidejussores pro virilibus portionibus, et pro solido debitorem principalem. Voet. dict. n. 30, in fin.

(69. Quamvis fidejussor a debitore relevari debeat, sunt tamen casus in quibus solum repetere nequit: I. Si pro pupillo sine tutoris auctoritate intercesserit l. 11, et l. 12, ff. *Mandati* § 2. II. Si solverit voluntarie, vel coacte per injuriam judicis, omisso appellationis remedio, plus quam debiti ratio postulet l. 8, l. 10, l. 12, ff. *Mandati* l. 32, l. 76, ff. de *Fidejuss.* l. 10. *Cod. Mandati.* III. Si inutiliter solverit veluti si per errorem non creditori, sed ei, quem putabat creditorem, solverit l. 26, § 5, ff. *Mandati* l. 14, ff. de *Condict. causa data*, quo casu ab eo potius, cui solvit, repetere debet. IV. Si post solutionem non certioravit debitorem principalem, qui deinde ignorans præcedentem solutionem idem debitum solverit l. 29, § 3, ff. *Mandati.*

(70. Liberatur ulterius fidejussor a Fidejussione eo ipso quod molestiam patitur. Rot. cor. Falconer. tit. de *Fidejuss.* decis. 11, num. 4. Rursus per novationem contractus, quoties tamen secundus cum primo omnino,

vel in aliqua parte incompatibilis, sit vel ex secundo damnum patiat Fidejussor. Rot. in Nuper. tom. 5, decis. 45, num. 6, decis. 512, num. 9 et 10, et tom. 6, decis. 246, num. 15, 16, 23 et 25, et cor. Falconer. de S. C. Vellej. decis. 4, num. 20. Liberatur pariter ob mutatam Debitoris conditionem culpa Creditoris. Ansald. de *Commerc. et mercat.* disc. 16, num. 21, Constantin. *Vot.* decis. 193, num. 7, et 124, cor. Roxas. decis. 168, num. 15, in Nuperrim. tom. 7, decis. 40, num. 22, quod tamen intelligendum est de simplici non de Solidali fidejussore. Magon. *Decis. Florent.* 38, num. 7, post. Zachiam. de *Oblig. camer.* decis. 143, per tot. præsertim num. 2, in Nuper. t. 7, decis. 40, numer. 22, et quando fidejussor interpellavit creditorem, ut principalem debitorem conveniret. Rot. in Nuper tom. 7, decis. 40, num. 23. Fidejussor denique liberatur, si diu steterit in obligatione. Rot. in Nuper. decis. 232, num. 1, tom. 3, et tom. 5, decis. 157, num. 3. Quando autem diei possit fidejussorem diu in obligatione stesisse non statuunt doctores, quorum alii unius anni, alii biennii spatium præfinit a die præstitæ fidejussionis ad diem petite liberationis, sed eorum receptior opinio est, qui id judicis arbitrio relinquunt. Constantin. *ad Stat. Urb. de liberat. fidejuss.* tom. 2, Annot. 47, num. 86. Dicitur autem diu stare in obligatione ubi quis Debitor diu cessat dum solveret. l. 38, ff. *Mandavit* ubique Bruneman. *Commen. in Pandect.* et *Commen.* in *Cod.* lib. 4, tit. 35, leg. 10, sub num. 2, in fin.

ADDITIONES NOVISSIMÆ EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(71. Tria sunt fidejussorum genera, alii appellantur simplices, alii Solidales, alii Indemnitate. De simplici fidejussore satis in præcedenti Article; nunc superest, ut aliquid afferamus de aliis fidejussoribus, eo vel magis quia juxta mores nostros numquam, aut pene numquam de illis in foro disputetur. (72. Adinstar rei debendi hodie reputatur solidalis Fidejussor. Rot. in Nuper. tom. 7, decis. 40, num. 2, cor. Ansald. decis. 302, num. 3, ideo quidquid in jure de reo debendi traditum reperitur, id mirifice ad solidales Fidejussores accommodatur. Quapropter solidales esse dicuntur fidejussores, ubi duo vel plures, vel unus tantum singulis in solidum uno eodemque tempore rem eadem principaliter promittunt ea mente, ut singuli quidem rem totam debeant, omnes tamen unam tantum, quin unus ab altero fidejussore, vel debitor a fidejussore respectu creditoris distinguatur. Neque rem mutat, quod Debitor pure obligetur, Fidejussor vero in diem, vel sub conditione, ille promittat Romæ, hic Athenis, dummodo eodem tempore uterque accedat; et ita nominatim fidejubeat, ut velit *tamquam principalis, principaliter et in solidum obligari.* Voet. in *Pandect.* lib. 45, tit. 2, n. 2, vers. *Deinde.* Quod si hæc clausula omittatur, simplex non solidalis dicitur fidejussor. Cum enim in duli)

solidalis fidejussor non præsumat; Wisembach. *ad Pandect.* tit. *de duob. Reis constit.* num. 25, circa med., ideoque in solidum numquam tenebitur, nisi hoc sit specialiter inter partes conventum. Groenevegen. in *Auth. Hoc ita Cod. de duob. Reis const.* et ita definitum legimus. in l. 11, in fin. ff. de eod. tit. « partes viriles deberi, quia non fuerat adjectum singulos in solidum spondisse, » ita ut duo rei promittendi fierent ibique Brunem. n. 6. Corvin. in *Cod.* lib. 8, tit. 40, § ut plures.

(73. Solidalis obligationis plures sunt effectus. I. Ad omne id tenetur ad quod tenetur principalis debitor. Rot. in Romana Pecuniaria 27 Jun. 1760, § 3 et seq. cor. bon. mem. Ratta. II. Perempta principalis debitoris obligatione, ut si fidejussor accesserit ad obligationem minoris sine tutoris auctoritate, adhuc remanet obligatus fidejussoris Rot. in Romana Cambii 21 Januarii 1753, § 9, cor. Borull. Cum enim hoc casu utriusque fidem secutus fuerit Creditor, æquum est, ut uno deficiente alterum conveniat cui prioris privilegium non competit. III. Ad solutionem potest compelli antequam Creditor principalem debitorem excutiat, in quo omnes juris Interpretes, et Doctores conveniunt. Rot. in Albanen Salviani 5 Decembris 1753, impres. 1736, § 4, cor. Elephantutio. Spoletana Pensionis 3 Junii 1757, § 3, cor. Canniliac. ubi ratio affertur, quod respectu creditoris debitor, et fidejussor habentur tamquam duo rei debendi. IV. Non ita tamen conventum Doctores circa beneficium divisionis, quod a nonnullis solidati etiam Fidejussori conceditur inter quos Vinn. *Instit.* lib. 3, tit. 17, § 1, n. 1. Zoes. in *Pandect.* lib. 45, tit. 2. Coruin. in *Cod.* lib. 8, tit. 40, in fin. Cujac. *ad Novell.* 99. Alii vero illud eidem omnino negant, et redarguunt contrarios. Heinecc. *ad Vinn.* loc. cit. et in *Instit.* lib. 3, tit. 17, § 845. Jac. Curtius *Conjectur.* lib. 1, c. 8. Donell. in *Auth. Hoc ita Cod. de Duob. reis Constit.* Voet. in *Pandect.* lib. 45, tit. 1, num. 4, sed apud nostros omnis sublata fuit controversia a S. Rota, quæ definit omnia simplici Fidejussori competentia privilegia amitti in solidali Fidejussione. cor. Emerix. decis. 972, in fin. cor. Lancet. decis. 875, num. 13, cor. Falconer. tit. *de Fidejuss.* decis. 5, n. 6. V. Ob dilationem concessam debitori a creditore solidalis fidejussoris obligatio non tollitur. Rot. cor. Lancet. dict. decis. 875, n. 9, et 10.

(74. Creditoris igitur arbitrio omni exceptione remota potest fidejussor solidalis conveniri, quod adeo verum est, ut, si Creditor primo elegerit Debitorem, hunc potest relinquere, et a fidejussore debitum petere quia non electione, sed solutione tantum extinguitur obligatio l. ultim. *Cod. de Fidejuss.* Bruneman. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, in leg. 9, num. 2, et 5, et in leg. ultim. per tot. Coruin. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, circa fin. (75. Quinimmo si electo debitore principali vel fidejussore contra alterutrum jam lata sit sententia, sed tamen Creditor difficilem

ipsius executionem cognoscat, eodem pari relicto, potest creditor alterum pro expeditiore solutione conveniri. Guido Papæ decis. 348. Voet in *Pandect.* lib. 45, tit. 2, num. 4, et lib. 46, tit. 1, num. 20. (76. Quamvis vero divisionis beneficio Fidejussor solidalis se defendere nequeat, si tamen Creditor, qui ex pluribus reis debendi unum in solidum convenire poterat, singulos in partem virilem non modo convenerit, sed insuper exegerit partem ab aliquibus sponte oblatam, vel in vim iudicii solutam, liberum eidem amplius non est deficientium portiones a reliquis exigere l. 16. *Cod. de Fidejuss.* Herincius *de Fidejuss.* c. 27, part. 2, num. 48. Voet loc. cit. num. 26.

(77. Unice solidalis fidejussor liberari potest per novationem prioris contractus, ut si Cambialis contractus in censum immutatus sit, dummodo tamen vera sit novatio, et prior cum posteriore contractu incompatibilis, nec fuerit interpellatus fidejussor, ut superiori Articulo observavimus; præsertim si deinde ob posteriore contractum adeo immutata appareat Debitoris conditio, ut maximo Fidejussor detrimento afficiatur. (78. Solidalis quippe obligatio naturam fidejussionis non immutat, sed tantum hoc casu privat fidejussorem iis privilegiis, et exceptionibus, quæ secus ipsi competere. Rot. in Romana, seu Albanen Pecuniaria, 10 Januarii 1752, § fin. cor. Canniliac. in Romana Pecuniaria super translatione Locorum Montium 19 Martii 1760, § 5, cor. Franqipane.

(79. Dum dicitur, per unius rei solutionem alterum liberari, intelligendum est respectu creditoris, non vero respectu debitoris principalis, vel confidejussoris. Quamvis enim ante solutionem nullam contra eundem habeat actionem Corvin. in *Cod.* l. 8, t. 41, p. 672, in princ. post tamen expletam solutionem, si a creditore actionum cessionem reportaverit, debet a principali debitore indemnis servari tam quoad sortem, quam quoad fructus, et omnia quæcumque damna ob id passa. Rot. cor. Falconer. tit. *de Legit. decis.* 3, num. 13. præcipue si inter partes hoc expresse conventum appareat. Rot. in Ferentina Salviani, 29 Januarii 1751. § 12. Cortiada. (80. Sed cum indemnitate non nisi iudicis officio consequatur actione mandati vel negotiorum gestorum, ideo opus est, ut in iudicio separato principalem debitorem conveniat, nisi Fidejussor sit de iudicio solvendo, vel contractus paratam habeat executionem vel munitus obligatione Camerali, quibus casibus a novo iudicio abstinere potest, et principalem debitorem convenire in vim iudicii, in quo causa cecidit; Voet. in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, num. 35. *Concer. Variar. resolut.* part. 2, cap. 5, num. 126.

(81. Tertia fidejussorum species est indemnitate, quæ inter simplicem, et solidalem obligationem medium obtinet locum. Talis enim fidejussor nec principaliter ligatur, nec integram principalis obli-

gationem suscipit, sed spondit id, quod a debitore principali consequi creditor non poterit. Corvin. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, pag. 670, coll. 2. Zoes. in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, num. 24. Hic proprie ex legis præsidio excussionis, et divisionis beneficio non gaudet, sed ex natura pacti neque ante principalem Debitorem potest conveniri, neque in plus eo condemnari, quod creditor vel a Debitore, vel a pignoribus perceperit. l. 41, l. 63, ff. *de Fidejuss.* et l. 17, *Cod.* eod. *ibid.* Bruneman. Quapropter licet omnibus legum beneficiis renuntiaverit, non tamen dicta privilegia amittit, nec ad solvendum compellitur, nisi post excussum principalem debitorem. Zoesius. loc. cit. Parladorius. 2, *Rer. quotidian.* cap. fin. part. 4, § 7, num. 9 et 10. Hering. *de Fidejuss.* cap. 27, num. 142, et seq. Dum enim excussionis beneficio renuntiat, contra naturam pacti agere videtur, ideoque erronea reputatur, nec attenditur. Wosembac. cons. 13, n. 31. Franc. *de Fidejuss.* cap. 5, num. 169, Hering. loc. cit. Gail. lib. 2, observat. 27, n. 13, Bruneman. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, leg. 17, num. 6. Tum quippe Creditor, tum Fidejussor convenisse videtur, ut sub conditione fidejussor teneretur, quatenus vel a debitore, vel a pignoribus integre non satisfaceret, ideoque pendente conditione repugnat, ut creditor contra ipsum agere possit, cum nondum principali debitore ex-

## SUMMARIUM.

1. Fidei vocabulum in Jure, et in S. Scriptura plures habet acceptiones. — 2. Insuper fides accipitur pro credulitate, et alia est Divina, et alia humana. — 3. Fidei nomen accipitur ulterius pro collectione articulorum fide Divina credendorum. — 4. Traditur fidei definitio. — 5. Hac fide fidelis credit Deum, credit in Deum, credit Deo. — 6. Hac fides vocatur Catholica, et quare, nec non Orthodoxa. — 7. Eadem fides fuit Patrum Veteris Testamenti, et nostra. — 8. Affertur, et solvitur instantia. — 9. Fides Divina quid sit secundum habitum, et secundum actum, et quomodo una, vel multiplex? — 10. Fides non solum habitualis, sed et actualis fuit, est, et erit omnibus usum rationis habentibus pro quocumque statu necessaria necessitate mediæ ad salutem. — 11. Fides explicita de existentia veri Dei, et quod sit justus remunerator, est necessaria ad salutem necessitate mediæ. — 12. An autem Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis, Domini nostri Jesu Christi sit explicitè credendum necessitate mediæ? Variæ sunt Doctorum sententiæ. — 13. Affertur prima sententiæ. — 14. Affertur secunda. — 15. Affertur tertia. — 16. Affertur quarta. — 17. Ex dictis sententiis prima tanquam probabilior est tenenda. — 18. Affertur et solvitur notabilis instantia. — 19. Omnes fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, tenentur sub mortali necessitate præcepti explicitè credere, et saltem quoad substantiam, seu crasso modo scire mysteria contenta in Symbolo Apostolorum, Orationem Dominicam, Præcepta Decalogi, Sacramenta maxime necessaria; reliqua vero tunc quando volunt suscipere. — 20. Non sufficit fides ex testimonio humano, aut simili naturali motivo. — 21. Omnes fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, obligantur præcepto Divino ad eliciendum quandoque actum internum fidei. — 22. Non sufficit autem actum Fidei tantummodo semel in vita elice-

cusso, constare non possit quantum Creditor a Debitore consequi debeat. Bruneman. loc. cit. n. 5.

(82. Liberatur autem hic fidejussor, si cum Creditor tum Debitorem principalem, tum pignora excutere potuisset, id neglexerit in causa fuerit, cum Debitor principalis in deteriorem incidere conditionem. Sibi enim imputet creditor si, dum potuit aliunde quam a Fidejussore subsidiarie tantum obligato integrum creditum consequi, eoque principali debitori molestias inferre distulit, donec a facultatibus haberetur, et pignora idonea esse detinerent. Hoc quippe casu licet salvum creditum non habeat, cum tamen id ex propria culpa proficiscatur, idem est ac si salvum illud haberet, cum quis damnum pati non dicatur, damno causam dedit. Voet in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, num. 38. Quid vero si, antequam Creditor Debitorem principalem interpellaret, decedat debitor, et hoc casu si creditor a Fidejussore monitus, ut debitorem conveniret, dolose non distulit, Fidejussor obligatus remanebit l. 16, in fin. ff. *fidejussor.* « Sed et si antequam appellaretur, decessisset, fidejussor obligatus erit, qui hoc quoque casu verum esset, reum non solvisse. » — ut contra dispositionem text. in lib. 62, ff. eod. tenent Brun. in leg. supr. relat. et Hering. *de Fidejuss.* cap. 20, § 13, num. 21, et seq.

## FIDES.

re. — 23. Ad eliciendum actum fidei tenetur quilibet rationis capax, cum primitus ei sufficienter fides proponitur. — 24. Item ad eliciendum actum fidei tenetur quisque, cum graviter tentatur interius contra fidem. — 25. Item ad eliciendum actum fidei internum tenemur, quando urget præceptum confitendi fidem exterius. — 26. Item tenemur elicere actum Fidei per accidens quoties urget præceptum alicujus virtutis exercendæ, quam sine fide non possumus exercere. — 27. Item tenemur sæpius, et frequenter in vita decursu actus fidei elicere. — 28. Nullo unquam casu, adeoque nec mortis vitandæ causa, licet fidem negare externe, omnino quamvis ea retineatur interne. — 29. Immo nedum nullo unquam casu licet fidem negare externe, sed insuper tenemur de præcepto aliquando eam externe profiteri. — 30. Duplex est præceptum Confessionis externæ fidei, scilicet negativum obligans semper, et pro semper, et affirmativum obligans quidem semper, sed non pro semper, ac solummodo pro aliquo determinato tempore. — 31. Per hoc affirmativum præceptum tunc præsertim obligamur ad externam fidei confessionem, quando per ejus omissionem subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proxime impendenda. — 32. Per se loquendo, si quis de fide interrogetur a persona privata, non peccat, si tacet. — 33. Potest licite fides occultari fugiendo. — 34. Non possunt tamen licite fugere Episcopi, aut Pastores, ubi eorum præsentia esset Ovis pascendis, aut in fide confirmandis necessaria, etiamsi mors ipsis immineret. — 35. Item licitum est occultare fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia. — 36. Illicitum tamen est occultare fidem signis illis, quæ ad profitendam falsam Religionem sunt instituta. — 37. Laicis personis de mysteriis fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ. — 38. Hac prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, sed etiam disputationem fidei confirmativam. — 39. Talis pro-